



FRATER VITALIS HERBITENSIS FRATRUM CAPUCINORVM
LAICVS.

(138)

F. VITALIS HERBITENSIS, Messanenſis Provinciæ Laicus, ad jurgia admodum proclivus, ferocientem, ac indomitum animum a natura ſortitus erat, quem benigniſſimus Deus ſuavius ad cœleſtis diſciplinæ jugum compellere volens, mirifica eum in Eccleſia viſione prævenit. Dum enim Vitalis ex quadam ſacra concione compunctus ſacroſanctis Myſteriis intereſſet, in mentis exceſſum rapitur, Templumque univerſum Angelorum choris repletum ſuaviſſimas Deo laudes decantantium percepit, qui auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium venerabundi præſtolabantur. Vitalis autem ſibi redditus, inter Miſſarum ſolemnia, dum ſacra Hoſtia elevatur, Chriſtum JEſUM, ſub forma ſpecioſiſſimi Pueri, Sacerdotis manibus geſtari conſpicit; cujus adſpectu ipſius anima ita liquefacta, atque in melius commutata fuit, ut, conſeſſum mundo valedicens, ad Capucinos, quos auſterioris vitæ eſſe audierat, evolare decreverit. Hoc apud ſe conſilio inſito, tanta mentis humilitate, tamque perfectò rerum omnium contemptu ad Religionis gremium acceſſit, ut congrue de eo illud Pſalmographi diceretur. Hæc mutatio dexteræ Excelsi; Etenim aſperriſſimum ex pilis ſuillis ad imum uſque abraſis cilicium diu, noctuque ſub ſacro habitu geſtabat; diris inſuper loris carnem acrius perfringebat; nudis pedibus abſque ſandalis perpetuo incedebat, omni tempore a carnibus abſtinentes, corpus inedia extenuabat. Inter humiles humillimus, omnem ſuperioris vitæ ſuperbiam penitus calcaverat. In oratione aſſiduus, gemina ante matutinum hora furgere, & in Eccleſia orare illi familiare erat, quo tempore horribiles a Dæmone viſibiliter ſuſtinuit inſeſtationes, ut nonnunquam ſuſtibus tractatus ſemimortuus jaceret. Semel etiam a Satana habitu expoliatus, longius a Conventu in puteum demergendus alportatur; at Vitalis ad Deiparæ Virginis patrocinium confugiens, ab eadem diſperſis Dæmonum turbis,

manu apprehenſus, ac verbis cœleſtibus recreatus, ad Conventum reducit. His autem Dei ſervus dum crebris Satana tentationibus probatur, ſpiritu Prophetico futura, & occulta paſſim penetrabat. In his, triennio antequam ſæva illa lues, quæ per totidem annos graſſata eſt, Siciliæ Inſulam occuparet, eam Aſcanio cuidam Tertii Ordinis B. P. Franciſci religioſiſſimo Viro revelavit. Mulieri quoque, quæ pretioſum anulum amiſſum lugebat, locum ubi lateret, abſens indigitat. Nobiliſſum quorundam occultum crimen redarguens, eos ſecreto ad meliorem vitæ frugem adhortatur. Inter miracula ab eo patrata, cæco ſaliva oris ſui inuncto lumen reſtituit. In Conventu Herbitenſi Fratribus panis inopia laborantibus cœlicam annonam ſua oratione promeretur. In eodem, dum Joannes Maria a Tiſſa, Generalis, in communi reſectorio, de more omnium aculationes exciperet, Vitalis Chriſtum Dominum juxta Guardianum ſtantem intuetur. Sæpius quoque ad ſacroſanctæ Hoſtiæ in Miſſa elevationem Chriſtum Redemptorem ſub Pueri forma eum conſpexiſſe. M. SS. noſtra teſtantur. Tot, tantique a Deo donis cohonestatus, cum libidinis ſtammam ab immundo ſpiritu in ſenili ejuſ, ac jejuniis extenuato corpore denuo ſuccenſam nullatenus poſſet extingueret, candens igne ferrum carni admovet, ut ignem igne pelleret, & aduſionis dolore ſenſus ardorem, & delectamenta ſopiret. Herbitæ tandem gravi morbo decumbens, die obitus ſui Fratribus prænuntiato, ex hujus ſæculi tenebris ad puriorem cœleſtis luminis claritatem evolat, quod Philippo cuidam Tertiariorum eximie virtutis Viro ſub ipſo temporis momento, quo diſceſſit, per clariffimæ lucis indicium e Conventu erumpentis, Cœloque penetrantis, non obſcure innotuit. Obiit octogennarius anno 1583, miraculis poſt mortem glorioſius, cujus etiam e corpore ſuaviſſimus odor diſfundeſatur.